Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 719
Quelle:
Copyright:

eum in *Mſs. Vatic.* et *Remig.* tribui *Auguſtino*, ſed verius eſſe *Caeſarii Arelat.* inter cujus *Homilias* in *Bibl. PP.* ordine XXXIX. eſt.

III. *fol.* 15. *Item Sermo S. Auguſtini quales debeant eſſe Chriſtiani.* Incipit: *Gaudeamus Fratres kariſſimi et Deo gratias agimus quod ſecundum deſideria cordis ueſtri* &c. Eſt in *append. T. cit. col. 438. Sermo* CCLXVI. *Auguſtino* ſuppoſitus, ut recte praenotant Editores. In *Cod.* noſtro Editis conſonat usque ad illa verba: *gladium diaboli pertimeſcit.* Deinceps conſtat adhortationibus contra injuſta Judicia, Ebrietatem, Irreverentiam et Garrulitatem in Eccleſia, quae fruſtillatim ex aliis *Auguſtini* et *Caeſarii Sermonibus*, ſaltem ut nunc leguntur, congeſtae ſunt. Finis ejus modi: *et nobis concedat uobiſcum implere quod predicamus. Adiuuante domino noſtro ihesu chriſto* &c. Adhaeret paucis lineis initium *Sermonis*, qui in Editis praeſentem antecedit: *Rogo uos Fratres kariſſimi ut adtentius cogitemus &c. — Sicut ipſe — —.* Itaque *folium* unum alterumve excidit.

IV. *fol.* 17. Fragmentum inſcriptum: *De Fide Catholica.* Initium: *Patres Venerabiles Cari Fratres filii dei aliquid uolumus uobis memorare de his que nunquam uobis obliuiſci oportet* &c. Sequitur dein *περιοχη* illa *Symboli* vulgo *Athanaſiani*: *Fides catholica hec eſt ut unum deum in trinitate et trinitatem in unitate ueneremur*, atque ducta a ſolis Sphaera, ſplendore et calore ſimilitudine illuſtratur. Tranſit hinc Κατηχητης ad Incarnationis myſterium: *Queritur autem* (cur) *deus pater filium ſuum. id eſt ſapientiam hominem fieri uoluit.* Rationem repetit ex impotentia lapſi hominis ſe ipſum erigendi; mox vero Tractatio his verbis abrumpitur: *Erat tamen impoſſibile non impleri. quod uolebat omnipotens.* — Quod dolendum, non enim illius fit mentio inter *Teſtimonia Veterum de Symbolo*, quae Editores *Mauriani* T. II. Opp. *Athanaſii Pariſ.* 1698. p. 719. collegere, neque alibi de ea legere me memini. Unde ανεκδοτον putem.

V. *fol.* eod. *De duodecim abuſionibus.* Initium: *Duodecim Abuſiva ſunt ſeculi. Hoc eſt ſapiens. ſine operibus. Senex. ſine religione* &c. Extat hoc Opuſculum inter *Auguſtino* ſuppoſita in *Append. T. VI. col.* 211. multo plenius Exemplo noſtro, quod tamen eandem *Praef.* habet, quam *Mauriani* in *Codd. Victorino* et *Corbejenſi* invenere. Vide praeviam illorum *Admonitionem.*

VI. *fol.* 19. iterum *De Catholica Fide.* Et quidem initium a *Symbolo* paullo ante memorato. Verum poſt verba: *equalis gloria coeterna maieſtas*, ſtatim: *Quia in hac trinitate nichil prius aut poſterius. nichil maius aut minus. Sed tote tres perſone coeterne ſibi ſunt et coequales. Quicumque ergo*